



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Locorum co[m]munium Ioannis Eckij,  
aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiae**

**Eck, Johannes**

**Antverpiae, 1541**

16 De imaginibus sanctorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35599**

beati. Isa. 63. Abraham nesciuit nos:  
 Israel ignorauit nos: Sub Euange-  
 lio etiam non fuit præceptū, ne gen-  
 tiles conuersi crederent se iterū in-  
 duci ad cultum terrigenarū, vt pro  
 veteri more sanctos nō vt patronos  
 sed vt deos adorassent: sicut Lycao-  
 nię Paulo & Barnabę sacrificare vo-  
 lebant: Porro si apostoli & Euange-  
 listæ docuissent sanctos venerādos,  
 arrogantię datum eis fuisset, ac si ip-  
 si post mortem gloriā illam quæsi-  
 uissent: Noluit ergo, ff. expressis scri-  
 pturis docere venerationem sancto-  
 rum: sed eiusmodi firmatos in fide  
 docuit per miracula, & sanctorum  
 auxilia, fuis ad eos precibus, illos  
 venerandos: Quauis dispari cultu  
 a deo, qui latria colēdus est: sicut Ma-  
 ria hyperdulia, & sancti dulia quæ  
 extense etiam adoratio dicitur.

## DE IMAGINIBVS

Crucifixi &amp; Sancto-

rum. XVI.

Licet



DE IMAGIN. CRVC.

**Exo. 25** **L**icet gens Iudæa esset propen-  
sior in idololatriã, tñ imagi-  
nes aliquas deus eis præcepit.  
Duos quoq; Cherubim aureos, &  
productiles facies ex vtraq; parte  
oraculi. Cherub vnus sit in latere  
vno, & alter in altero.

**Num. 12** Loquutus est dominus ad Moy-  
sen, fac serpentem æneum, & pone  
eum pro signo.

**Leuit. 26** Non facietis vobis idolum, & scul-  
ptile, nec titulos erigētis, nec insig-  
**Iosue. vlt.** nem lapidē ponētis in terra vestra,  
vt adoretis eū. Et tamē Iosue mori-  
turus posuit lapidē prægrandē sub-  
ter quercum, quæ erat in sanctuario  
domini: similiter Samuel, sic permis-  
sum est altare filijs Ruben & Gad.

**1. Reg. 17**  
**Iosue. 23** Euseb. Seth iustus, primus ima-  
gines dei fecit, Hieronymus de He-  
braicis q. & Comestor super Gene-  
sim enarrat Iudæos & causam, cur  
fecit imagines.

Damasceus li. 4. affirmat nos ha-  
bere



bere vsum imaginum ex traditione apostolorum.

Eusebius libro. 2. ecclesie historiae, & Damascenus referunt Christum misisse imaginem faciei sue Abagaro Edessenorum regi, asseruatur Genue in Ecclesia sancti Bartholomaei.

Faciem suam dominus linteo impressam dedit Veronicæ, cuius imagine sanatus Tyberius Cæsar, qui ob id decreuit Christo honores diuinos. Verum quod incio senatu id fecerat, senatus prohibuit, vt auctor est Suetonius.

Sanctus Lucas virginem Mariam depinxit, vt celebris fama est per ecclesiam.

Approbatus fuit imaginum vsus in concilio Nicæno secundo. Ex quo hi versiculi in latinum translati.

Hoc deus est, quod imago docet, sed non deus ipsa.

Hæc recolas, sed mēte colas, quod cernis



## DE IMAGIN. CRVC.

cernis in illa.

In Constantinopolitano sub Hirenæo, in tribus cōcilijs Lateranen. sub Greg. 2. & 3. Stephano, & in concilio Francfordensi ad Menum heresis Felicianæ fuit dānata, quam spiritus ecclesiæ suscitare nituntur, Græci appellarunt hereticos illos Iconoclastas, i. fractores imaginum.

Græci imperatores, ceterum annis tyrannice impugnarunt vsum imaginum, & fuit potior causa transferendi imperium in Germanos.

Beda inquit, imagines fieri in ecclesia dei, nulla diuina litera vetuit.

Athanasius scribit miraculū quod contigit cum imagine crucifixi in Beritho, fuerat hæc crux sancti Nicodemi.

**Ulatio** Constat ergo Apostolorum tempore fuisse imagines in ecclesia.

Eusebius lib. 7. scribit de imaginibus Petri & Pauli Apostolorum, mentit imaginis Christi, facientis  
mira-



ET SANCTORVM. 109

miracula, narrat etiam in tripartita  
hist. li. 6. Cassiodorus.

Carolus magnus quatuor libros  
scripsit contra volentes tollere ima-  
gines, vnde Thuricenses fundatorē  
eorum & patronū Carolum potius  
sequi debent cum ecclesia catholica  
q̄ hæreticum Zuinglium.

Utilitas imaginū est, quod instruit De consec-  
simplices, admonent sciētes, afficiūt di. 3. ca.  
omnes. Decet enim deum visibilem Perlatum  
factum in humano habitu, visibili & ca. vene  
immagine præsentari. Et Luther vel rabiles  
in hac parte sapit, quod Caroloستا-  
dium imagines destruentem, & de-  
lentem ex Saxonia curauit proscrī-  
bi, & pro viribus hæresi Felicianæ  
resistit.

Luther contra Carolostadium sic  
inquit, Imagines memoratiuas,  
aut testimoniales, sicut sunt imagi-  
nes crucifixi, & sanctorum, proba-  
tum est esse tolerandas, etiā in lege.  
Et non solum tolerandas, sed quā-  
diu



DE IMAGIN. CRVC.

diu memoria & testimonium in eis durat, tunc sunt laudabiles & honorabiles, sicut statuæ Iosue & Samuelis. Vide librum nostrum de imaginibus.

¶ Obijciunt hæretici.

Exo. 20.

1 Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Simile dicit Exodi in fine. Deute. 4. & 5. & 27. & multis alijs scripturis veteris Testamenti.

4. Reg. 18.

2 Ezechias confregit serpentem æneum, quem fecerat Moyse.

Ioan. 4.

3 Christus promisit venire, & nunc tempus esse, quod veri adoratores adorarent deum in spiritu & veritate, spiritus autem non afficitur imaginibus.

4 Porro subest periculum idololatriæ sub imaginibus, & immundorum cogitatum.

5 Balthasar Hiebmair, qui se fridberger



berger iam nominat, nouitius here  
 ticus, hoc cornutum facit argumen  
 tum. Aut præcepte sunt imagines, &  
 tunc ostendatur scriptura, Aut non  
 sunt præceptæ & tunc nihil valent.  
 Postea factus est pater parabapti-  
 starum.

¶ Respondent catholici.

Deum præcedentibus & sequenti De primo  
 bus explicare mentem suam, nam  
 sicut prohibuit venerari deos alie-  
 nos, ita prohibuit imagines illorū,  
 at quia nos sanctos non habemus  
 pro dijs, nō prohibemur illorū fa-  
 cere imagines. Nam ante verba cita-  
 ta inquit, Nō habemus deos alienos  
 coram me. Non facies tibi sculptile  
 &c. sequitur: Non adorabis ea, neq;  
 coles. Ecce in illum finem non de-  
 bent fieri. Et ita Luther met in-  
 telligit.

Quod si Leo Iud Thuricen. Iudai-  
 co more literæ non affigitur, quod  
 absolute facere imagines sit prohibi-  
 tum,

Viennæ cō  
 bustus. 1328



## DE IMAG. CRVC

2. Par. 9 tum, consecrariū esset Salomonem  
3. Reg. 7 peccasse, quādo fecit. 12. leunculos in  
folio, peccasset sculpendo boues in  
mari fusili, & leones, & boues, & che  
rubim in basibus æreis, quis est tam  
hebes, vt credat nullum fuisse picto  
rem, nullum sculptorem in Iudæa,  
3. Reg. 6 quis tunc sculpsit cherubim? Et in  
Mat. 22 moneta ait Christus, cuius est hæc  
imago? August. libro. 20. contra Fau  
stum ca. 23. Et si vsus quarundam re  
rum, similis nobis esse videatur cū  
Mar. 12 gentibus, longe tamen aliter vtitur  
his rebus, qui ad alium finem vsum  
earū refert, sic dicito de imaginibus  
gentilium & Christianorum.

**De secūdo.** Quod Ezechias destruxit serpē  
tem, fuit causa huius abusus populi  
idolatrantis: nam in loco eodem se  
quitur, Siquidem vsq; ad illud tem  
pus filij Israel adolebāt ei incēsum.  
Vnde si constaret de abusu alicuius  
imagine illa deberet aboleri, abstu  
lēt ergo serpentem, non quia imagi  
nem.



nem, sed quia Iudæi adorabant.

Adorandum deum dicimus potissimum in spiritu & veritate quod ut faciamus, imagines nos admonent & ad memoriã reducunt. Nam spiritum non excludere signa sensibilia, indicium nobis præstant sacramenta, quæ sunt insensibilibus signis instituta.

Nullum periculum subest idololatricæ, quia facillime possunt instrui simplices ad rectificandam eorum intentionem, puta quod venerationem referant non ad imaginem ipsam, sed ut Basilius docet ad prototypum, ne detur occasio aut periculum immundorũ cogitatum, lascivia pictoribus inhibenda est.

Liquet ex puncto primo & secundo ac quarto quàm vere cornutum sit hoc argumentũ muscæ illius Aegyptiacæ. Non est hoc præceptũ in scripturis ideo non obseruandum. Quinimo hoc cornu eum impetamus.

Q 2 mus,



## DE MISSAE

mus, aliquid esse in scripturis præceptum, & tamen non obseruandum, vt de sabbati sanctificatione, de nõ comedendo sanguinem suffocatum &c. Sufficiat catholico, quod ecclesia constituit imagines sanctorum, velut vtilis & expedientes, poni debere in ecclesia, & cornua peccatorũ confringatur. Dicam ei dominicam diem celebrare, aut est præceptum, & ostendatur scriptura, aut non est præceptum, itaque nihil valet, quod nec hæreticus dicet.

### DE MISSAE SACRIFICIO. XVII.

**Q**uomodo à columnis ecclesie instituta sit Missæ actio ceremoniosa (vt ita loquar) ex sancto Dionysio apostolorum discipulo liquet. At quia hæretici noui inauditam in ecclesia dei inuenerunt hæresim, missam non esse sacrificium: Contrarium ex scripturis probatur.

Sem.